

servandum, tam multa de homine esse dicenda, ut, si omnia annotare vellemus, in integrum discursus noster excreveret tractatum: propterea, ut ratione habeamus & methodi & AUCTORIS nostri, potiora & selectiora solum recensimus, de reliquis verò, ne quid deficere videatur, lectorem remissum volumus ad BECKERI *Medicum microcosmicum*, ubi tractat eleganter & prolixè de homine, omniaque medicamenta, quæ ex illo vel spagyrico vel Galenico modo vel Δ . vel alio modo possunt præparari, accuratè explicat. *Partes humanae*, quæ ex illo sive interfecto, sive vivo desumuntur, sunt I. HALITUS, de quo notandum, quod ex illo possint fieri CRYSTALLI, quos multum commendatur BARTHOLET. in *dyspnæa*, per instrumentum vitreum, cujus forma videri potest in *tract. de Dyspnæa* pag. 391. Idem halitus inprimis hominis jejuni ad sistendam *Ophthalmiam*, & discutiendos oculorum inflammationes prodest, referente DVRRHO in *Epist. ad Barthol.* inprimis in restituendis oculis. Item ad *clarificandos oculos* infantum; si nutrix jejuno manè masticer semen fœniculi, & post masticationem exhalet halitum in oculos infantis. CAPILLI *destillati* dant \ominus vol. & copiosum admodum *oleum*. Per microscopium enim notum est, quod sint concavi, quidam rotundi, quidam triangulati, vel aliâ formâ præditi. Beneficio capillorum *solutorum in sp.* \ominus vul. GLAUBERVS extrahere animam \ominus medicamentum ipsi singulare, uti videre est in *scriptis Chemicis*. *Oleum destillatum* per retortam ex capillis multum commendari solet ad *generandos capillos in alopecia*. *Pili pubis* sive maris sive mulieris sistunt *Hæmorrhagiam narium*, observante hoc HENRICO AB HEER *obs.* 5. Notum etiâ est, quod mulieres suffocatae ex utero soleant *vellicari in pilis pubis*, ut citius & felicius ad se redeant, vid. quædam in HOEFERO. UNGUES infusi in vinum vel potum cum vehementia cient vomitum, & purgant per secesum: Et *secretum* fuerunt KNOEPHELII Medici, castrense, qui propinavit pro vomitorio & purgante militibus ungues proprios infusos per noctem in vinum calidum. Quam vim purgandi inprimis in sero hydropicorum dicuntur exserere, extrinsecus instar amuleti appensi umbilico, decisi à manibus & pedibus. Multæ etiâ instituuntur *curaciones Magico-Magneticae* naturales per ungues, inprimis ad curandas *febres chronicas*, modum habet AUCTOR, qui videri potest, & certum est hoc, cum sciamus ex experientia, nuperrimè tali modo febrem chronicam curatam fuisse: scilicet abscinduntur ungues manuum & pedum, alligantur dorso canceri viventis, & cancer istis unguibus oneratus, immittitur in flumen retro faciem, redeundo sine loquela, donec in domum facta fuerit reversio. Instituuntur qq. *cure transplantatorie* pro viribus recuperandis per ungues. Sic in podagra, \mathcal{R} . ungues pedis, atque immit-

tuntur in foramen excavatum in quercum, & super foramen ponunt cuneum, ex quo subito fit, ut remittat dolor, ac desinat podagra. *Fundamentum* hujus rei videri potest in MARCI-MARCI *Philosophia veterum restituta*.

SALIVA jejuni hominis ad *morsum serpentis* commendatur, imprægnata enim est \ominus vol. \ominus so seu \ast cali, & propterea præter virtutem, quam habet in resistendo morsibus animalium venenatorum, in quibus laudat ZACCVS LVSITANVS *lib. 1. prax. hist.* 32. &c. etiâ saliva ratione \ominus vol. \ominus si seu \ast lis, habet singularem vim discutiendi & resolvendi tumores. Propterea est *cosmetica* saliva inprimis sani hominis, in *lichenibus*, *impetiginibus*, & *variolis* dissipandis & abstergendis. Unde etiâ granum hordei masticatum & saliva humectatum, si imponatur *hordeolo in oculo*, solet curare idem, ratione salivæ maturantis, aperientis & discutiensis. *Aurium sordes*, quæ speciali nomine vocantur CERUMEN, quod in potu assumptum est specificum remedium in *Colicâ*, quod certum est. Deinde est singulare *vulnerarium*: Fit etiâ *balsamum vulnerarium* ex cerumine hoc, si coquatur cum oleo juglandium expresso, qui balsamus simplex valdè commendatur in cura vulnerum recentium. AGRICOLA in *Chirurgiâ parva* habet unguentum, quod prædicat efficacissimum, quo mirabilia brevi tempore in *inflammationibus*, *synovijs* & *suppurationibus* præstitit, compositio est hæc:

\mathcal{R} . \ominus vol. Sacch. \mathcal{H} ʒij.
Ceruminis aurium ʒiij.
Olei avellanarum expressi q.s.

Misce. Quod si debeat esse consistentiæ crassioris super Δ inspissari potest. Idem cerumen aurium in *nervorum puncturis*, quæ sunt periculosissimæ propter inflammationem, tumorem, dolorem & gangrænam, est *secretum HELMONTII*, uti videri potest in *scriptis* pag. 201. §. 24.

LAC HUMANUM est maximè appropriatum hominibus alimentum, & laudari solet in *phthisi*, inprimis quidem, si æger mamillæ fœminæ adhibeatur, ut ipsemet exlugat mammam: Refert namque FORESTVS in suis *observationibus*, quod aliquando juvenis quidam phthisi & tabe desperata laborans fuit curatus per lac humanum, dum necesse habuit, ut sibi conduceret nutricem, ex qua singulis matutinis & vespertinis horis exhausceret lac, unde factum est, ut non tantum fuit restitutus à tabe, sed etiâ nutricem postmodum imprægnavit. Nam lac

mu-